



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Si cui liceat duas commatres ducere vnam post aliam. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

videtur consentire Urbanus 2. dicens, super quibus
consuluit nos tua dilectio, hoc videtur responde-
dum: ut & baptismus sit, si instate necessitate fa-
mina puerum in nomine Trinitatis baptizauerit
& quod spiritualium parentum filii vel filie ante vel
post compaternitatem genitæ, possunt legitime co-
iungi, præter illam personam, qua cõpatres effecti sũt.

Paschalis papa.

Paschalis vero 2. post compaternitatem genitos
copulari prohibet, scribens Regino episcopo: Post
susceptum filium de fonte vel filiam spiritualem,
qui ex compatre vel ex cõmatre fuerint nati, ma-
trimonio iungi non possunt. Illud etiam notandum
est, quod in Tiburienti concilio legitur. Si quis sue
spiritualis commatris filiam fortuito, & ita con-
tingente rerum casu in coniugium duxerit. ma-
riori seruato consilio habeat, atque legitimo con-
nubio honeste operam det.

Si quis ducere possit duas commatres vnã post alteram.

Solet etiam quæri. Si commatrem vxoris post
eius obitum quis ducere valeat? De hoc Nicolaus
papa sic scribit, Sciscitatur à nobis sanctitas vestra,
si quis duas commatres habere valeat, vnã post
alteram? In quo meminisse debes scriptum esse. E-
runt duo in carne vna. Cum ergo constet, quod vir
& mulier vna caro efficiuntur, restat virum com-
patrem cõstitui mulieri, cuius assumpta vxor cõ-
mater erat: & ideo virum illi fœminæ non posse
coniungi, quæ commater eius erat, cum qua idem
fuerat vna caro effectus. Huic a. illud contrarium
videtur. Qui spirituales habet compatrem, cuius
filium de lauacro suscepit, & vxor eius comma-
ter non est, licet ei defuncto compatre suo eius vi-
duam ducere in vxorẽ: quos nulla generatio spiri-
tualis secernit. Itẽ ex epistola Paschalis papæ. Post
vxoris obitum, cum commatre vxoris coniugio
copulari, nulla ratio vel auctoritas videtur prohibere.

*Ibid. c. post
susceptum.*

*Ca. 48 con.
Tiburien.*

*Constan. epi.
30. qu. 4. ca.
Sciscitatur*

*Ca. 47. con.
Tiburien. ibi.
ca. Qui spiri-
tualem ibi-
dem c. Post
vxoris.*

bere. Non n. per carnis vnionem ad vnionem Sp. transitur. Sed sciendum, quod auctoritas Nicolai de illo ait, qui vxori suæ debitum reddidit, postquam cōmater illi⁹ extitit. Aliæ vero auctoritates de illo agunt, cuius vxor postquã à viro suo delinquitur, illius cōmater efficitur, nec post cōpater-nitatē à viro suo cognoscitur: vel de illo potius agunt cui⁹ vxor ante defūgitur, q̄ ab eo cognoscatur.

Si vir & mulier possint simul tenere puerum. H

Solet etiam quæri, Si vxor cum viro simul debeat in baptismo suscipere puerum? De hoc Vrbanus ait, Quod vxor cum marito in baptismo simul non debeat suscipere puerum, nulla auctoritate videtur vel reperitur prohibitum: sed vt ipsa puritas spiritualis paternitatis ab omni labe & infamia conseruetur immunis, decernimus vt vtrique simul ad hoc aspirare non præsumant. Quia vero piaculare flagitium commisit, quia duabus commatribus velut sororibus nupsit, magna pœnitentia debet ei iniungi.

De secundis & tertijs nuptiis & deinceps. I

Sciendum est etiam, quod non solum primæ, vel secundæ nuptiæ sunt licitæ, sed etiam tertiæ & quartæ non sunt damnandæ. Vnde Aug. Secundas nuptias omnino licitas, Apostolus concedit. De tertijs a. & quartis, & de vltra pluribus nuptiis, solent homines mouere quæstionem: Sed quis audeat definire quod nec Apostolum definisse video. Ait n. Si dormierit vir eius, cui vult nubat. Non dicit, primus, vel secundus vel tertius, vel quotuslibet: nec à nobis definiendum est, quod non definit Apostolus. Vnde vt breuiter respondeam, nec illas nuptias de beo damnare, nec eis verecūdiam numerositatis auferre: nec contra humanæ verecūdiæ sensum audeo dicere, vt quotiens voluerint nubant: nec ex meo corde præter scripturæ auctoritatem, quotaslibet nuptias damnare. Item testa-

*Ibidem cap.
Quod vxor.*

*Aug. ca. 12.
lib. de bono
viduitatis
tom. 4.
1. Cor. 7.*

testa-